



Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 3. Murmuratio sororis Moysis qualis fuerit, vt lepram mereretur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

strofa res fuit illa lepra. Certè nunc lepra propriè non se diffundit à leproso in vestes, vel domum eius, oporteret enim omnes leproorum vestes arrodi, & putreficeri. Esto autem, sicut pestis vesti aut domui adhæret, eamque reddit homini pestilentē, dum ex ea vapores pestilentes contrahit ; haud tamen villa pestis vesti vel domui ita inhæret, aut ita eam inficit, ut illam consumat & interimat. Igitur lepra nunc non inhæret, sed adhæret tantùm vesti, aut domui, neque eam facit leprosam formaliter, vt olim, sed tantùm caussaliter, quia eam homini afflare potest. Quanquam autem etiam nunc aliquam subinde cariem in lignis, calce & lapidibus reperimus ; non tamen ea est talis lepra, quæ nouos quoque solidosque lapides inuadat, erodat & absument, vt olim lepra Iudaica. Vnde Leuit. 14.^o iussi sunt omnes lapides lepra infecti ex do- 44. Ita fe-
mo eximi, & noui substitui, qui si postea re Cor-
lepra infecti inuenirentur, jubebatur do- nelius à
mus dirui ; adeò etiam muri tunc ipsi le. Lepid. in
thaliter, vt ita dicam, ægrotauerunt.

§. III.

*Murmuratio sororis Moysis qualis fuerit, ut
lepram mereretur ?*

V 4

Quid

Quid leproso deformius? immo, si
lepra est monstrum, quid monstrosius?
Horrorem hunc Mundi moderator, in Iu-
dæis ostendit, ut peccatum, caussam il-
lius, horreamus. Est enim peccatum ani-
mæ lepra, maximeque illud, quod lepra le-
gimus fuisse punitum. Murmurauit con-
tra Moysen soror, & lepra perfusa est.
Appositè, ita culpa & pœna congruebant.
Quippe murmuratio instar lepræ serpit,
& inficit totum aliquod corpus commu-
nitatis. Quia de causa sicut leprosi olim
jussi sunt è castris ejici, & habitare seor-
sum, ita electa est è castris murmuratrix
Maria; ita SS. Patres, & Religionum fun-
datores statuerunt, ut è cœtibus sacris
murmuratores separarentur. *Ex teterrima
de morbo Mariæ Prophetisse lepra docemur*, ait S.
linguæ. Ephrem, quām graue & detestabile vitium sit
obtreditio. Corpus, quod lepra infectum cer-
nebatur, velut speculum quoddam fuit anima,
qua non perspiciebatur, cuius indicabat macu-
lam. Ex illa carnis corruptione patefactum
est, quo modo hominis detractoris corrumpa-
tur animus. Nam sicut illa defecerat à fratre
suo: ita & ab ipsa proprium corpus defecit, ut
ex semetipsa charitatem addisceret. Quod si
autem

autem & ipsa Mariæ murmuratio expendatur, poterit ea leuis videri; contigit enim ob Sephoram Madianitudem, & idcirco *Æthiopissam* vocatam, quæ more muliebri voluit se præferre Mariæ, eò quòd esset vxor Mosis, Mosenque suum quasi populū ducem Mariæ & Aaroni prætulisset. Itaque ut muliebris sexus imbecillis est, primum concitata Maria, deinde per hanc incitatus etiam Aaron, se erigere cœperunt, non Sephoræ tantum, sed ipsi etiam Moysi æquantes, jactitantesque, se æquè nobiles esse Prophetas, ac Moses erat. Hæc inter sanctos illos, & Mariæ illius, cui Dominus locutus fuerat, ex æmulatione orta murmuratio lepram meruit, in diuino iudicio, & septem dierum separationem,

§. IV.

*Murmuratrixis Mariae imitatores, qua pœna
pœnitentiæ digni?*

Quid merebitur murmuratio non iam muliebris, sed virorum, & eorum, qui se doctos, qui religiosos, qui sanctos volunt haberi, & tamen re ipsa sunt arrogantes, Theones, superiorum suorum censores, quibus se non æquant modò, sed etiam anteponunt, qui rectores suos regere, &

V 5

iudices